

Regulae tres de inuocatione.

I. In petitione quarumcunque rerum oportet praelucere fidem, quae accipit promissionem gratiae. II. Etiam amissis omnibus bonis corporalibus et cum vita corporis certo amittenda est, tamen retinenda est promissio gratiae et vitae aeternae. III. Non est praescribendum Deo tempus aut modus liberationis. 5

Cur inuocatio saepe multumque est exercenda?

Primum propter gloriam Dei, II. propter nostram et ecclesiae salutem, III. propter eruditio-
nem et sapientiam spiritualem augendam, IIII. propter consolationem, V. vt diabolis hanc
Gorgonem obijciamus, VI. vt precatio sit confeßio discernens ecclesiam ab alijs sectis. 10

Recita formam precationis dominicæ.

[94:] [Holzschnitt: Jesus lehrt die Jünger das Vaterunser^h (Lk 11,1–4)] Pater
noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum,
fiat voluntas tua sicut in coelo sic et in terra. Panem nostrum quotidianum da
nobis hodie et remitte nobis debita nostra sicut et nos remittimus debitoribus 15
nostris et ne nos inducas in temptationem, sed libera nos a malo, quia tuum est
regnum et potentia et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Quis est ordo seu dispositio orationis dominicæ?

[95:] Constat oratio dominica exordio, narratione et epilogo.

^h Nicht in A, E.